



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

De S. Juliana, Virgine Abbatissa Pauliacensi In Normannia Commentarius
Historico-Criticus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

A morte. Si, inquam, radix hujus dilectionis esset in nobis, omnia virtutum poma maturescerent: quia vero deest, in flore vanescunt.

et fratres suos
ad pie viven-
dum exhorta-
tur.

21 Sed quia inducias ad corrigendum hujus temporis* a pio Redemptore accepimus, agamus, ut in melius proficiamus. Non enim sufficit supple vitiapatrias, divitias, parentesque reliquisse, nisi nosmetipsos mortificemus. Diem ergo mortis quotidie attendamus et in æternum non peccabimus. Passiones Domini inspicimus, et de presentibus injuriis non dolebimus. Sicque hujus exsilii iter peragamus, ut egredientes de corpore, angelum lucis inveniamus, per quem defensi ab accusatore illuc perveniamus, ubi Deum cuncti cum angelis sine fine laudemus. Ubi jam nullus erit metus mortis, nullus corruptionis metus, nulla esuries, nulla sitis, nullus mœror, nullus dolor, nulla amaritudo, nulla tenebrarum caligo, sed dies æterna, dies beata, in qua qui inventi fuerint, lumine solis non egebunt, quia ab ipso Agno illuminati, sicut sol in regno Patris fulgebunt: ubi semper beati, semper gaudentes, semper lætantes, semperque erunt cum Christo sine fine regnantes: ubi caritas in singulis regnabit, et Deus omnium in omnibus erit, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Monachorum numero celeberrimum quondam fuisse S. Vincentii monasterium, probat dicti cœnobii Chronicum, in quo fertur, seculo ix nongentos ejusdem monasterii monachos a Saracenis martyrio fuisse affectos. Istud cœnobium, teste V. C. Angelo de Nuce abbate

Casinensi in *Notis ad Chron. Casinen. lib. 1, cap. 4*, Nunc undique solitudinem spirat et horrorem, omni monachorum cultu destitutum, abati tantum commendatario commissum. Unde patet, prædictionem hanc non absolutam, sed conditionatam fuisse. Id etiam et sequentia biographi verba confirmant.

b Notat eruditissimus Mabillonius per regulam patrum hic intelligi regulam S. Benedicti.

c *Epistola B. Pauli a Corinth. cap. 9, v. 22.*

d *Vide Lucæ Euang. cap. 10, v. 20.*

e *Vide Comment. prævium.*

f *Id est, unus tumulus. Nam sæpissime, ut videre est in Glossario Cangii, memoria ad Sanctorum tumultum designandum usurpatur.*

g *In editione Muratorii sic legitur: Obiit autem Tato prædictus pater tertio Idus Januariæ in pace anno Dominicæ Incarnationis dcccxxix. Contra in editione Vitæ apud Mabillonium sicut et in hoc exemplari Taso tertio Idus Januariæ in pace anno dcccxxix obiisse dicitur. Si Mabillonii statim citata lectio melior sit, ut reliquis Vitæ textus satis suadet, corrigendus erit in Opere nostro Bollandus, qui Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, aliorum monumentorum defectu, secutus ad diem xi Januarii Tatonis Acta loco Tasonis dedit. Verumtamen de hac re operosius ad diem xi Decembris agetur, ubi de Tasone vel Tatone tranclandum erit.*

h *Hic versus in editione Ughelli desideratur.*

i *Loricam ferream olim monachi sanctioris vite, inter quos eminuit S. Dominicus, ideo Loricatus dictus, ad cutem induebant, ut per hanc mortificationem corpus spiritui subicerent.*

DE S. JULIANA, VIRGINE

ABBATISSA PAULIACENSI IN NORMANNIA

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

C

§ I. Fasti sacri, quibus Sancta inserta; an vel a Julia abbatissa, cujus rogatu S. Austrebertæ Vita fuit conscripta, vel a Juliana, quam Menardus memorat, sit diversa; prolixum, quo a Saussayo ornatur, elogium.

C. B.

F

MEDIO CIRCI-
TER
SSC. VIII.
Sancta, quæ ab
hagiologis hic
memorata ho-
die celebratur,

Pauliacum, Gallice Pailly, nobile olim in Normannia Benedictinarum monasterium, quatuor ab urbe Rotomagensi leucis eo ipso loco, quo hodie (DD. Cornelium et Martinierum in Leacis suis Geographicis ad Vocabulum Pavilli videsis) oppidulum homonymum conspicitur, a S. Filiberto, Gemeticensi abbate, sec. vii in Caletis Caurum versus exstructum, a Danis seu Normannis postea excisum ac denique sub sec. xi finem in Benedictinorum prioratum, S. Austrebertæ dictum, qui et ipse modo, proventibus ejus omnibus, ut Gallix Christ. auctæ Scriptores tom. xi,

col. 127 docent, ad Cartusianos Rothomagenses decimo tertio seculi hujus anno translatis, haud amplius existit, conversum, virtutibus suis ac beato obitu, de qua hic modo agendum, S. Juliana seu, uti etiam vocata invenitur, Julia illustravit. Hinc haud dubie ibidem a Saussayo, Bucelino, Arturo a monasterio et Castellano, qui illam hodie in Fastis sacris a se contextis celebrant, consignatur. Amun- tiatio, qua id a Castellano fit, paucis dumtaxat, quæ e Gallicis Latina facio, hisce verbis Pauliaci in Normannia S. Juliana virgo, loci illius abbatissa, cujus corpus Monasterioli ad mare in S.

AUCTOR
C. B.

S. Austrebertæ ecclesia honoratur, concipitur. Nec pluribus, ut non nihil diversis, constat, quæ ab Arturo in Gynæceo sacro exhibetur; verum prolicum, quo non tantum dicto loco Sancta signatur, sed et quoddam Vitæ ejus compendium continetur, elogium a Saussayo huncque deinde secuto Bucelino suppeditatur. Id integrum, prout apud Saussayum exstat, huc transcribam, cum primum examinaro, an Sancta nostra, quam celebrat quamque Monstrolii cultu ecclesiastico etiam gaudere, infra ostendam, diversa sit vel a Juliana, hodie a Menardo memorata, vel a Julia abbatisa, quæ exstantem apud nos ad x Februarii diem S. Austrebertæ Vitam conscribi, uti hujus præfatio, illi nuncupata, fidem facit, postulavit.

nec vel a Julia
na, per Me-
nardum,

2 Menardus Julianam, quam memorat, sequentibus hisce verbis in territorio Rothomagensi depositio sanctæ Julianæ virginis sanctimonialis Pauliacensis, in Benedictino a se contexto Martyrologio hodie annuntiat, ac deinde, illam in cœnobio Pauliacensi sanctimoniali sub Austreberta abbatisa egisse, hujusque, ex nobilissimo, uti apud nos ad x, quo Operi nostro exstat inserta, Februarii diem fas est videre, stemmate ortæ, cognatam exstitisse, suarum in Martyrologium illud Observationum lib. 2 affirmat. Verum Saussayus, Julianam nostram, quam memorat, humili loco natam ac a Benedicta, Pauliacensi abbatisa, quæ Austrebertæ Vita functæ successerat, mirabili hujus, in cœlo jam regnantis, protectione in Pauliacensium sanctimonialium numerum receptam, in elogio, infra huc, ut jam monui, transcribendo, tradit; cum hæc autem cum iis, quæ Menardum de Juliana sua affirmare mox dixi, apertissime pugnent nec conciliari ullo modo queant, vel a veritate aberrare hagiologorum illorum alterutrum, vel Julianam aliam ab uno, aliam ab altero memorari, est dicendum. Vidit id Bucelinus, errorisque tamen nec Menardum, nec Saussayum insimulandum, sed Julianam, a Menardo memoratam, a nostra, quam Saussayus celebrat, distinguendam ratus, duas hodie Julianas, quarum alteri, quam solo venerabilis titulo perperam exornat, ea ipsa, quæ de Juliana nostra Saussayus, alteri vero ea ipsa, quæ de Juliana sua Menardus memorat, adscribit, in Menologio suo Benedictino annuntiat. Verum Julianam, quæ Pauliaci sanctimoniali sub S. Austreberta egerit cognationeque cum hac fuerit conjuncta, nunquam exstitisse ac proin Menardum, qui contrarium e jam dictis affirmat, aberrare ea in re a veritate suadent, quæ jam nunc subjungo.

qui rationibus
in medium

3 Etsi Mabillonius sibi prælucentem habuerit Menardum, nusquam tamen Julianæ, cui eadem, quæ Julianæ suæ hic, attribuat, in Ordinis sui Benedictini seu Sanctis seu Annalibus meminit. Adhæc in binis, quæ Sæculi 3 Benedictini part. 1 exstant, Austrebertæ Vitæ nulla omnino, quæ sanguine cum hac dicatur conjuncta, Juliana memoratur, nec scriptor ullus, Menardo antiquior, e quo Juliana, Pauliacensis sub S. Austreberta sanctimonialis hujusque cognata, innotescat, invenitur. Menardus quidem, sese quæ de Juliana sua memorat, e cœnobii Pauliacensis monumentis hausisse, in Observationibus supra cit. declarat; verum, monumenta illa notissimis Normannorum in Gallias irruptionibus nono-

que adeo, quæ hæc inchoatæ, seculo vel antiquiora vel recentiora exstitisse oportet; verosimillime autem antiquiora haud exstiterint. Monumenta enim hujusmodi, quæ de Juliana, Pauliaci sub S. Austreberta, anno 704, uti in hac ad x Februarii diem docuimus, e vivis sublata, sanctimoniali professæ, tractarint, anno 1629, quo Martyrologium suum Benedictinum Menardus vulgavit, in Pauliacensi monasterio, multis ante seculis a Normannis tum exciso nec paucas vicissitudines alias passo, fuisse adhuc reliqua, in animum quis inducat? Et sane monumenta, e quibus sese, quæ de Juliana sua memorat, hausisse Menardus loco supra cit. indicat, seculo nono haud antiquiora, sed multo etiam exstitisse recentiora, vel ex eo liquet, quod Benedictinus is martyrologus, fuisse adhuc etate sua Julianæ a se memoratæ corpus Pauliaci assertatum, hæc isdem etiam, uti ipsemet prodit, monumentis didicerit.

4 Jam vero, cum sic habeat ac proin non sit, cur Juliana, a Menardo memorata, sanctimoniali Pauliaci sub S. Austreberta egisse hujusque cognata exstitisse monumentorum illorum fide credatur, Julianam nostram a Juliana Menardi haud diversam merito æstimaris, tum quod, quo die hæc, eodem etiam, quod et de loco dicendum, illa in Fastis sacris supra relatis signetur, tum quod non tantum Mabillonius, sed et, si unum Bucelinum exceperis, hagiologi supra memorati omnes ac ipsemet Menardus unam dumtaxat Julianam recenseant. Reponi quidem potest, corpus Julianæ, a Menardo memoratæ, Pauliaci, nostræ autem, ut post videbimus, Monasterioli assertari; verum an Julianæ ullius, ac proin an Julianæ, a Menardo memoratæ, corpus Pauliaci, uti hic e dictis monumentis insinuat, assertetur, dubitare me facit Pauliaci, quam D. Cornelius num. 1 laudatus in Lexico suo Geographico ad Vocabulum Pavilli e documentis, ipsomet, ut ait, hoc in loco anno 1704 confectis, suppeditat, notitia; in hac enim de aliquot S. Austrebertæ reliquiis, ibidem assertatis, loquitur, nullamque tamen, etsi interim hac occasione commode id facere potuisset, Julianæ ullius, quæ ibidem pariter assertentur, reliquiarum mentionem instituit. Adhæc fieri potest, ut partim Pauliaci et partim Monasterioli unius ejusdemque Julianæ nostræ corpus assertetur. Nec est etiam, cur hanc a Menardi Juliana æstimes diversam, quod Juliana nostra exstiterit abbatisa, Julianamque suam Menardus, ab abbatisæ titulo abstinens, sanctimoniali dumtaxat appellet. Verosimiliter enim perperam id a martyrologo isthoc fieri, vel ex eo concludendum videtur, quod nulla usquam Juliana, sanctitate illustris, quæ sanctimonialis Pauliacensis dumtaxat exstiterit, apud scriptores, Menardo antiquiores, inveniatur, et tamen in S. Austrebertæ Vita, ad x Februarii diem apud nos, et sec. tertii Benedictini part. 1 a Mabillonio edita, occurrat Pauliacensis, cui Vitæ S. Austrebertæ præfatio ab auctore anonymo, Austrebertæ æquali, inscribitur, abbatisa, nomine Julia, hæcque a Juliana nostra, uti jam nunc dicenda suadent, videatur haud diversa.

hic adductis
refutatur, me-
morata,
E

5 Sanctam nostram, quam in parthenonem Pauliacensem a Benedicta abbatisa receptam, Saussayus

Vel a Julia abbatissa, cui S. Austrebertæ Vita inscripta.

Saussayus, ut jam supra monui, in elogio infra huc transcribendo tradit, fuisse post in abbatissæ illius defunctæ locum suffectam, adjungit, eique nec in hac, nec in aliis, quas ibidem scribit, rebus fidem denegandam, studiosus lector ea infra dicendis intelliget. Porro Mabillonius, qui neutiquam, quæ Martyrologus ille de Sancta nostra scribit, rejicienda putavit, hanc esse illam ipsam jam supra num. 1 et proxime prægresso memoratam Juliam, Pauliacensem abbatissam, sæc. 3 Benedict. part. 1 est suspicatus, uti ipsemet ibidem non obscure prodit, in præviis suis in S. Austrebertæ Vitæ Observationibus num. 4 sic scribens: Pauliacensis parthenon in Caletis, quarto milliari a civitate Rotomago, illustratus fuisse dicitur S. Benedicta abbatissa, quæ S. Julianam virginem istuc admisisse creditur, futuram ibidem abbatissam. Forsan ista est Julia, cui subjectæ Vitæ (S. Austrebertæ) præfatio nuncupata est. Ita ille, qui, quod sese, dum hæc exararet, suspicatum duntaxat esse sic indicat, indubitanter deinde, dum Ordinis sui Benedicti Annales scriberet, sese credidisse, non obscure in hisce ad annum 704, num. 19 prodit his verbis: Sanctæ Austrebertæ gesta primus scripsit auctor anonymus, ejus fere æqualis, rogatu Julię abbatissæ Pauliacensis, quæ Benedictæ primæ post Austrebertam Pauliacensis abbatissæ successit. Hæc sine dubio est Julia, aliis Juliana dicta, quam ex servili genere ortam cum Benedicta in numerum sororum, quantumvis postulantem, admittere nollet, morbo gravissimo correpta, sed Austrebertæ sanata meritis, roganti tandem ac flagitanti hanc gratiam concedere compulsus est.

videtur diversus, prolixo.

6 Et vero, Sanctam nostram a Julia abbatissa, cujus rogatu conscripta fuit S. Austrebertæ Vita, haud diversam, merito sane non tantum est suspicatus, sed et indubitanter credidit Mabillonius; cum enim auctor anonymus, qui vitam S. Austrebertæ scripsit, fuerit huic, ut idem Mabillonius in suis mox laudatis Observationibus docet, fere æqualis, consecrarium est, ut et abbatissa Julia, cujus rogatu id ille fecit, eidem Austrebertæ existit pariter fere æqualis, cumque Sancta nostra a Benedicta abbatissa, quæ Austrebertæ proxime successerat, in parthenonem Pauliacensem fuerit admissa, debere et ipsam eidem Austrebertæ existisse fere æqualem, nemo non videt; cum autem sic habeat, enimvero est, cur tam a Julia, Pauliacensi abbatissa, quæ S. Austrebertæ Vitæ conscribi rogavit, quam a Juliana, per Menardum memorata, existimetur haud diversa. Itaque, re hac modo, ut facere statueram, stabilita, lectoris oculis prolixum, quo Sancta nostra, ut jam monui, a Saussayo hodie ornatur, elogium subijcio. Id in Gallicano, quod hic contexit, Martyrologio sequentibus hisce concipitur verbis: In territorio Rotomagensi, Pauliacensi cœnobio, sanctæ Julianæ virginis et abbatissæ, quæ succensa cælesti igne pietatis, ab infantia sua Christo sese in famulam dedicavit; atque carnis et spiritus sui holocaustum perficeret, sanctæ religionis habitum a Benedicta abbatissa humiliter instanterque flagitavit.

quod integrum

7 A qua ob natalium obscuritatem et rerum inopiam contemptui habita, perpessaque repulsam, in sanctæ Austrebertæ virginis primæ il-

lius loci abbatissæ jam beatæ clientelam se coniecit, opem ejus assidue implorans, qua abbatissæ in se duritia emolliretur; cujus tamen interim misericordiam assidue enixeque interpellabat; donec die ipso, quo festum sanctæ Austrebertæ eo in monasterio agebatur, Puella incensa vehementiori sancti propositi desiderio, supplex ad sepulcrum sanctæ ipsius accurrit, idque fortiter complexa protestatur, se tametsi membratim discerpi oporteat, a tumulo beatæ opitulatricis suæ, non brachia, non manus, quibus eum stringebat, laxaturam, quin prius habitu sancto religionis donetur. Piam cujus pertinaciam abbatissa ægre ferens jussit a sepulcro venerando illam avelli extrudique mox sacris liminibus. Sed Deus, cujus pauperis æque ac divitis cura est paterna, afflictæ Puellæ protinus injuriam vindicavit et piam juvit intentionem. Percussa illico abbatissa febrili ardore adeo vehementi, ut extremis se jam illa crederet proximam, cum facti pœnitens voto se Deo et beatæ Austrebertæ obstrinxit, si solatium consequeretur, se pauperculæ Puellæ optatis ultro cumulum præstituram.

AUCTOR
C. B.

8 Vix formata erat seria illa deprecatio, cum repente, extincto febris foculo, abbatissa convalluit. Quæ se extemplo eximens religiosa sponsione Julianam, veste expetita indutam, sacrum in cœtum admisit interque sorores, quæ sanctimonialibus primi ordinis ancillantur, quoniam ea sic enixe poscebat, deputavit. Hac in forte annos perplures transegit devota Filia tanta humilitate, ut Soror de Jesu ob divinos hos præsertim, quibus præstabat, affectus passim cognominaretur. Defuncta deinde abbatissa illa, non multum disquisitum est, quæ Virginali choro præficienda esset. Omnibus enim mox una occurrit Juliana in mentem; cujus divinæ virtutis * dignitatem hanc ipsi singulariter deferebant. Sic omnium facta Mater de filia deque ancilla Domini, onus magis, quam honorem subiit, quantoque ex inferiori loco ad majus fastigium evectam se noverat, eo majori animi demissione se deprimens omnibus humilitatis exemplum præstitit admirandum amorisque et sollicitudinis maternæ studia officiaque eximia. Itaque in Marthæ et Mariæ vicissim exercitata ac demum perfecta muneribus stadium vitæ hujus absolvit, imo e mortis palæstra ad immortalitatis gloriosæ promeritam transivit usuram. Cujus corpus purissimum e Pauliaco Monastrolium usque translatum inclusumque honore conditorio, illic prope sanctæ Ausbertæ *, cujus benigna aspiratione votis potita est, venerandam lipsanothecam requiescit. Tale est, quo, ut dixi, Sanctam nostram Saussayus exornat, elogium; de iis autem, quæ in hoc tradit, censendum quid sit, § seq. exponam.

huc transcribitur, elogio a Saussayo ornatur.

* virtutes

F

* Austrebertæ

AUCTORE
C. B.

§ II. Quid de elogio, § præcedenti
exhibito, censendum; tempus,
quo Sancta obierit, reliquiarum
ejus translatio, cultus ecclesia-
sticus.

Quæ in Sanctæ
nostræ elogio
Saussayus tra-
dit, ac, ut ap-
paret, primi-
tus

Unde Saussayus, quæ in prolixo Sanctæ
nostræ elogio, § præced. huc transcripto,
tradit, acceperit, nusquam edicit; ast inter
Miracula, apud nos ad x Februarii diem Vi-
tæ S. Austrebertæ e quatuor antiquis codicibus
subnexa, occurrit quoddam, quod in horum
tribus legitur quodque ibidem num. 4 expo-
nitur hisce verbis: Alio quoque tempore ejus
(S. Austrebertæ) memoriam (sanctimoniales
Pauliacenses) recolentes, cum Missarum sole-
B mnia celebrarent, Puella quædam, salvare vo-
lens animam suam, sanctæ illi congregationi
adherere desiderabat; sed cum multis modis
in præterito tempore istiusmodi causam postu-
lanti ei omnis denegata fuisset adeundi facul-
tas; desperata jam ab homine hanc se consequi
gratiam posse, de Dei potius misericordia et
orationibus Sanctæ illius (Austrebertæ nimi-
rum) confidens, in ipsa hora, qua Dominus Deus
Sabaoth Sanctus ter ab omnibus clamabatur,
currens ad sanctum sepulchrum, beatæ Dei fa-
mulæ manibus apprehendit, dicens, se
inde nullatenus recessuram, nisi projecta fuis-
set invita, inquiring, si forte egeretur, animam
suam perituram fore; sanguinem tamen suum
exquirendum de manu ipsius, quicumque de-
votionem suam ulterius impedisset. Mater vero
earumdem ancillarum Dei, quæ illis temporibus
monasterio præerat, valde indignans, quod
factum est, jussit illam amovere ex loco illo
atque cum dedecore expelli, dicens: Tu, inquit,
cum sis ex monasterii hujus nata famula de-
beasque servile opus exercere, quodcumque tibi
forinsecus injungitur, ausa es hoc arbitrari, ut
C rapina corpori sanctimonialium sociata, domi-
na effici delecteris?

a S. Austre-
bertæ, quod hic
narratur, mi-
raculo

10 Nocte igitur insecuta, cum se sopori de-
disset, gravissima ei febris continuo accessit,
ita ut per totum noctis spatium pervigil vexa-
retur. Mane autem facto, ingravescente febre,
jubet adesse presbyterum, simul et omnes so-
rores: indicat se mori quidem, sed Puellam il-
lam, pro qua se pati dicebat, recipi in congre-
gatione ab omnibus flagitabat. Illæ autem, quia
uno animo conspiraverant adversus Puellam,
ne recipi potuissent, dubitantes adhuc hac de
causa ei ægritudinem accidisse, consilium inie-
runt dicentes: Eam us primum ad corpus sanctæ
Dei famulæ, ibique pro te preces fundamus, vo-
tum videntes, si forte misereatur tui Dominus,
ut ab hac infirmitate saneris, atque ut per te
ipsam facias, quod hortaris. Quod ita fa-
ctum est. Nam statim reliquit eam febris, et
surgens a lectulo jussit adduci Puellam ac re-
cepit eam in filiam, ceterisque fecit sororem,
jam tum bene recordans, quod ante male immem-
or extiterat, quia Dominus personarum non
est acceptor; sed sive servus, sive liber, in
Christo unum sumus, et sub uno Domino mili-
tiam bajulamus; beneplacitum enim est Do-

mino super timentes eum, et in eis, qui sperant
super misericordia ejus. Puellam itaque, hu-
mili loco natam, quæ Religionis habitum Pau-
liaci postularat, repulsamque passa erat a
loci matre seu abbatisa, postea ab eadem in
parthenonem illum, mirabili modo patroci-
nante, ad quam confugerat, S. Austreberta,
fuisse admissam, tam hæc miraculi, quod eo
spectat, jam data relatio, quam supra huc
transcriptum, quo Sanctam nostram Saus-
sayus celebrat, elogium memoriæ prodit.

11 Quare, etsi quidem hoc et illa, ut con-
sideranti patet, in adjunctis, quibus fa-
ctum vestiunt, invicem dissonent, in substan-
tia tamen ad amussim conveniunt; cum au-
tem sic habeat, verosimillime id Saussayus
vel ex ipsa miraculi, eo spectantis, relatione
jam exposita, vel ex altero, in quod hæc ma-
narat, scripto, mutatis pro arbitrio adjun-
ctis, acceperit. Ac postremum quidem credi-
bilitus apparet, quod nec qui Puella ista, nec
qui abbatisa, a qua hæc tandem Pauliaci
fuit admissa, nuncupata fuerit, in relatione E
memorata dicatur, debeatque proinde Saus-
sayus, qui hanc quidem Benedictæ, illam vero
Julianæ nomine distinguit, ita eas appellatas
fuisse, e scripto seu documento, ab eadem re-
latione distincto, intellexisse. Verum quod
qualeve id exstiterit? Mabillonius, qui eadem,
quæ apud nos loco supra cit. exstant, S. Au-
strebertæ Miracula Sæc. 3 Benedictini part.
I, pag. 39 et tribus seqq. recenset, in mox re-
latum de Puella, S. Austrebertæ patrocinio
Pauliaci admissa, miraculum in inferiori
pagina ora ita observat: Andreas Saussayus
in Martyrologio ad v Id. Octob. ait, Puellam
istam fuisse S. Julianam; abbatissam Benedi-
ctam.... Consentit Officium S. Julianæ a san-
ctimonialibus Monasterioliensibus recitari soli-
tum. Sanctæ nostræ Officium, a Mabillonio
hic citatum ac, ut ait, a Monasterioliensibus
seu Monasterioliensibus sanctimonialibus re-
citari solitum, ad manum mihi non est; ast,
cum equidem, ni vehementissime fallor, Saus-
sayo sit antiquius, hic ex illo, utpote in quo,
ut Mabillonius verbis jam nunc recitatis in-
dicat, Puella quidem, quæ S. Austrebertæ
patrocini in Pauliacensem parthenonem fuit F
admissa, Julianæ, abbatisa vero, a qua hæc
repulsam fuerat perpessa, Benedictæ nomine
distinguitur, ita hæc fuisse appellatas, ha-
buerit perspectum. Nec inde id tantum, verum
etiam reliqua, quæ in Sanctæ nostræ elogio
supra huc transcripto martyrologus ille tra-
dit, verosimillime didicerit; cum autem sic ha-
beat, proximum est, ut ea, si non ut certa, sal-
tem ut probabilia ac ut vero minime absimilia
admittamus, maxime cum Officio illo, quod
verosimiliter e monumentis antiquis, Mona-
sterioli asservatis, fuerit compositum, docu-
menta nec præstantiora nec antiquiora, e qui-
bus confulari ac convelli queant, inveniantur.

12 Porro, ut alio modo sermonem conver-
tam, etsi quidem, quæ in dicto elogio Saus-
sayus scribit, diserte tempus, quo Sancta no-
stra obierit, haud exprimant, non parum
tamen ad id determinandum conducunt.
Etenim ea inter occurrunt sequentia de
Juliana, in parthenonem Pauliacensem
admissa sororibusque, quæ primi ordi-
nis sanctimonialibus ancillari solebant, jam
adscripta, verba: Hac in forte annos perplu-
rès

partim mana-
runt, videntur
ut vero haud
absimilia ad-
mittenda,

ad emortuale
Sanctæ tempus
determinan-
dum condu-
cunt,

A res transegit devota Filia tanta humilitate et charitate, ut Soror de Jesu ob divinos hos præsertim, quibus præstabat, affectus passim cognominaretur. Defuncta deinde abbatissa illa, *Benedicta nempe*, non multum disquisitum est, quæ virginali choro præficienda esset. Omnibus enim mox una occurrit Juliana in mentem; cum ita autem, *Benedictam, Pauliacensem abbatissam, quæ S. Julianam in parthenonem suam admisit, pluribus adhuc annis, postquam id fecisset, in vivis mansisse superstitem, significetur, anteaque eandem per aliquot adhuc annos dicto parthenoni præfuisse, verosimile appareat, consecrarium fit, ut, cum S. Austreberta, cui in Pauliacensis cœnobii regimine successerat, anno 704, uti apud nos ad x Februarii diem fas est videre, obierit, verosimiliter usque ad annum circiter 725 vitam protraxerit; quare, cum Sancta nostra, quæ et in cœnobii Pauliacensis regimine proximè successit, facile poterit annis circiter quinque et viginti post in vivis adhuc existere superstes, consecrarium ulterius fit, ut verosimiliter seculo VIII, media circiter sui parte jam elapso, vitam hanc mortalem cum immortalitati commutavit. Neque vero id multo vel serius cel citius, quam anno circiter 750 factum, ex eo etiam concludendum apparet, quod Sancta alioquin, contra ac e jam supra dictis fuit, futura fuisse S. Austrebertæ, anno ut jam monui, 704 vita functæ, fere æqualis haud videatur.*

13 Locus postulat, ut modo de iis, quæ Sanctæ obitum sunt secuta ac vel utcumque ad eam spectant, loquamur. Pauliaci eam, ubi sanctissime vixerat, fuisse terræ mandatam, nec in supra huc transcripto, quo a Saussayo ornatur, elogio, nec alibi usquam notatum invenio; verum id ibi factum, indubitatum apparet. Inde enim post purissimum ejus corpus, etsi eo, ut apparet, aliunde prius haud adductum. Monstrolium, cujus apud nos tom. 7 Maii pag. 800 in S. Framechilde notitia subministrata, fuit translatum. Ita scilicet in Sanctæ nostræ elogio disertè affirmat Saussayus, nec ea in re, cum sacrum illud pignus Monstrolii hodieque ex infra dicendis servetur, nihilque, Sanctam alibi, quam ubi abbatissam egerat, sepultam fuisse, suadeat, aberrare a veritate est censendus. Verum quandonam translatio ista evenit? Eam, Nortmannis sec. IX Gallias vastantibus contigisse, ex iis, quæ de S. Austrebertæ, primæ Pauliacensis abbatissæ, corpore, modo partim Audomaropoli, partim Monstrolii asserto, Mabilionius sæc. 3 Benedictini part. 1 pag. 44 in monito, S. Austrebertæ miraculis subnovo, scribit, verosimile apparet. Audi, qui ibidem is loquatur. Magna, inquit, pars reliquiarum S. Austrebertæ adservatur in virginum Benedictinarum parthenone Austrebertino, quod * muris Monstrolii opidi inclusum * est; pars Audomaropoli in ecclesia cathedrali. Id quam ob rem quave ratione contigerit, paucis accipe. Nortmannis Galliam, præcipue loca Ligeri et Sequanæ fluvii circumfusa, vastantibus, Pauliacenses virgines in Marconnense monasterium sese recepisse feruntur. Istud monasterium in paterno S. Austrebertæ castro, Marconna dicto, ab ipsa, ut aiunt, Austreberta post parentis utriusque mortem constructum fuerat ad Quantiam fluvium, paullo infra He-

sdinum opidum hodiernum.

14 At cum nec ibi tutæ essent sanctimoniales ab incursibus Nortmannorum, ad Monstrolium opidum munitissimum confugerunt; ubi, destructo a Nortmannis utroque parthenone, Pauliacensi et Marconnensi, sedem fixerunt, eoque loci circiter annum millesimum erexerunt cœnobium, S. Austrebertæ nuncupatum, cujus partem reliquiarum possident, partem Audomaropolitana ecclesia, in qua corpus sanctæ Virginis, sæviente Nortmannorum procella, servatum est. Et quidem Monstrolenses Virgines patronæ suæ reliquias in Theca argentea affabre elaborata, cranii partem in scrinio ex argento deaurato; Audomaropolitani vero canonici portionem suam in feretro argenteo aræ majori imposito venerantur. Cum itaque Pauliacenses virgines, dum Nortmanni Galliam ac præcipue loca Ligeri et Sequana circumfusa sec. IX vastarent, Marconnam primo ac deinde Monstrolium sese recepisse, ut Mabilionius ait, ferantur, tunc verosimillime non tantum S. Austrebertæ, sed et S. Julianæ Pauliaci hactenus servatum corpus, quo, tam hoc, quam illud Nortmannorum furori subducerent, secum asportarint, sicque tunc corpus Julianæ quidem Monstrolium tandem, Austrebertæ vero Audomaropolim, postea inde Monstrolium etiam partim deferendum, fuerit translatum.

15 Ut sit, nos equidem, quæ in Sanctæ nostræ elogio Saussayus scribit, fuisse ejus corpus Monstrolium, quod ita aut etiam Monstrolium seu Monasterium a S. Austrebertæ monasterio sibi incluso vocatur, translatum, recte docent, uti etiam sacrum illud pignus ibidem hodieque assertari. Horum enim postremum, e quo primum consequitur, Mabilionius et Papebrochius noster disertè etiam docent; prior quidem, cui et Arturus a monasterio in Neustria Pia pag. 328 jungi potest, sæc. 3 Benedictini part. 1 pag. 29 in suis in S. Austrebertæ Vitam Annotationibus; posterior vero tom. 7 Maii in S. Framechilde, S. Austrebertæ matre, num. 2. Verba ejus, correctis, quibus laborant, mendis typographicis, huc transcribo. Sic habent: S. Framechildis exuvia Monstrolii reverenter servantur in arca, ad ejus arcæ dexteram collocata, quæ S. Austrebertæ exuvias continet; cui etiam ad sinistram assistit arca S. Julianæ Pauliacensis abbatissæ post S. Benedictam, quæ ipsi beatæ Austrebertæ successit in regimine ejusdem monasterii. Sanctam Benedictam dico, quia ita loquitur Mabilio in prævio ad Vitam S. Austrebertæ Commentariolo; sed optem diem cultus ac modum nosse. S. Juliana apud Saussayum in Gallicano Martyrologio amplum elogium habet xi Octobris, in quem diem optamus de ejus cultu plenius informari. Ita loco cit. laudatus decessor noster, qui deinde ibidem, nonnullis interpositis, subjungit, sese a Claudio Castellano, qui per mensem Julium anni 1686 Antverpiam ecurrrens Monstrolio transierat ac omnia coram inspexerat, certiores esse factum, ibidem S. Framechildis corpus pari quo S. Austrebertæ reliquias in honore haberi, ambasque cum S. Julianæ corpore in sanctimonialem choro elevatas spectari.

16 Quod de S. Julianæ corpore Monstrolii honorifice asserto Castellanus Papebrochium, uti hic testatur, anno 1686 edocuit, id ille in

AUCTORE
C. B.

Gallias vastantibus, verosimillime factum;

corporeque
ejus Monstrolium tandem,
quod, Nortmannis

fuisse translatum ac ibi hodieque assertari,

* l. qui
* l. inclusus

AUCTORE
C. B.
recte docent;
etsi autem de
cultu silent,
Juliana tamen
Monstrolii co-
latur.

in Martyrologio suo universali, anno 1709 vulgato, per Sanctæ nostræ annuntiationem, num. i huc transcriptam, dilucide etiam tradit; ut, cum is martyrologus simulque et dictis Mabillonius et Arturus a Monasterio, S. Julianæ corpus Monasterioli hodieque asservari, unanimi consensu et quidem, ut apparet, e notæ haud adulterinæ notitiis affirmant, dubitandum enimvero non sit, quin recte, rem ita habere, edoceant, quæ in Sanctæ nostræ elogio Saussayus scribit; imo vero hæc, sacrum illud pignus, honore conditorio inclusum, prope S. Austrebertæ lipsanothecam honorifice ibidem servari, recte etiam docere, e Papebrochii verbis modo huc transcriptis fas est colligere. Verum, etsi sic habeat, de cultu tamen, quo Sancta vel Monstrolii vel alibi gaudeat olimve fuerit gavisa, omnino silent. Nec, etsi Papebrochius (verba ejus num. proxime prægresso huc transcripta vi-

desis) de S. Julianæ cultu in hanc, qua de ea D foret tractandum, diem plenius informari desiderarit, notitiam allam, eo facientem, quæ post cum Decessoribus nostris fuerit communicata, in supellectili nostra litteraria reperio. Hinc factum, ut, an Juliana, quæ Fastis sacris dumtaxat recentioribus, supra enumeratis, inscribitur, jure sibi locum in Opere nostro vindicaret, initio dubitarim; verum dubitationem hanc mihi exemit Mabillonius. Julianæ enim Officium, a Monstroliensibus recitari solitum, per verba, num. xi huc transcripta, citat; cum sic autem, non tantum qualicumque modo, sed et Officio ecclesiastico Monasterioli Julianam coli, non obscure prodatur, nec quin id ibi ab immemorabili etiam ante annum 1634 tempore factum fuerit, dubitandum ullo modo appareat, hincam, veluti Sanctam, in Opus nostrum illatam, lectori, scrupulo omni deposito, hic exhibui.

B

DE S. VINARDO SEU WINARDO

E

CONF. PROPE LINGONAS IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sancti memoria in paucis, iisque recentioribus dumtaxat, Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, tempus emortuale incertum, Vita, ei afficta, cur edenda.

SEC. FORTE VIII.
Sanctus, qui,
dumtaxat Pu-
risiensis et Uni-
versali Castel-
lani Martyro-
logiis insertus,

Inter omnia diversi nominis Hagiologia, magno numero penes nos exstantia, duo dumtaxat, Parisiense videlicet et Universale Castellani, Martyrologiorum appellatione distincta, quæ Vinardum seu Winardum hodie celebrant, inveniuntur; verum, etsi sic habeat ac proin nullis prorsus Fastis sacris antiquis seu classicis hic Sanctus exstet insertus, sibi tamen jure locum in Opere nostro hic exposcit; hodie enim cultu ecclesiastico certo gaudet, uti infra ostendam, cum primum, qua ratione in duobus mox memoratis Martyrologiis memoretur, lectori ob oculos posuero. Qui Parisiense, quod anno 1727 in tuceam prodit, Martyrologium contexit, breviter hodie in hoc S. Vinardi sic meminit: Sancti Vinardi, cujus memoria prope Lingonas exstat: Castellanus autem, Sanctum Gallice non Vinart, sed Guenard appellans, sequentibus hisce, quæ e lingua Gallica in Latinam verto, id verbis, S. Vinardi confessoris, et prope Lingonas et prope Nobiliacum in pago Pictavensi culti, in Galliarum Sanctis, hodierno Sanctorum, Martyrologio Romano inscriptorum, laterculo in Martyrologio suo Universali adjunctus, facit; verum hanc Sancti nostri annuntiationem hodie reformari sequenti isthoc modo, S. Guenardi, prope Nobiliacum in pago Pictavensi et prope Andiliacum in diocesis Lingonensis loco, CELLÆ nomenclatione distincto, ubi Vinardus appellatur, culti, in suis ad Martyrologium illud Additionibus et Correctionibus vult.

2 Quod si itaque martyrologo illo standum

hic sit, Sanctum nostrum non tantum in diocesis Lingonensis loco, Cellæ appellatione distincto, ubi Latine Vinardus, Gallice Vinart, verum etiam Nobiliaci in pago Pictavensi, ubi Latine Guenardus, Gallice Guenard, appellatur, cultu ecclesiastico affici, erit dicendum. Verum, cum Sanctum, qui Gallice Guenard, Latine Guenardus, appelletur Nobiliacique in pago Pictavensi hodie colatur, nusquam vel in Fastis sacris vel in aliis penes nos exstantibus libris invenire, diligentissima licet facta indagine, potuerim, enimvero, unde ibi cultu ecclesiastico gaudere Sanctum nostrum, Castellanus didicerit, edicendo non sum. Verum, etsi sic habeat, cum equidem in diocesis Lingonensis loco, Cellæ seu, ut abs aliis scribitur, Cellulæ nomine distincto sexque ab urbe Lingonensi miliaribus prope Andiliacum sito, cultu ecclesiastico centum amplius annis ante Urbani VIII de Servis Dei, Sanctorum albo ab Ecclesia nondum adscriptis, publice haud honorandis decretum, anno 1634 emissum, fuisse affectum ac proin (neque enim, quod tum ac seculo, uti ea infra dicendis patescet, proxime elapso, factum ibi est, modo haud amplius ibidem fieri, verosimile apparet) hodieque affici, asseverare, et quidem absque errandi periculo, possum.

3 A tempore enim, tot, quot divi, annis mox dictum Urbani VIII decretum prægresso, honore illo Vinardum seu Vinardum in præfata diocesis Lingonensis loco affectum fuisse, luculentissime evincit penes nos exstans, quod

Nobiliacium
coli ab hoc as-
seritur, vere-
que etiam in
ecclesia Cellen-
si

antiquitus cul-
tus fuit ac
porro hodieque
colitur, eccle-
siastico, in quo
omnia

Lectiones